



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

12. Mortificatio consuetudinis jurandi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

dacii, ut nunquam, aut joci gratiâ, aut damni metu, aut lucri spe, aut pœnæ timore, à veritate deflectam, aliudque ore proferam, ac corde sentiam.

Aspirationes.

I. Fuge lingua mea, mendacium: Os enim, quod mentitur, occidit animam. Sap. c. 1. 11.

II. O quantopere mihi cavendum est omne mendacium; quia scriptum est: perdes omnes, qui loquuntur mendacium. S. Gregor. L. 18. Moral. c. 2.

III. O æterna Veritas! Nunquam ex ore meo prodeat mendacium, & falsitas!

PASSUS XII.

Mortificatio consuetudinis
jurandi.

TEXTUS.

Ego autem dico vobis, non jurare omninò: sit autem sermo vester est, est; non, non: quod

*quod autem abundantius est,
à malo est. Matth. 5.*

Cognitio.

Juramentum est invocatio tacita vel expressa Numinis Divini, tanquam primæ & infallibilis Veritatis, in testem alicujus rei. Quod ut debite ac licite fiat, necesse est, ut fiat *in judicio, justitia, & veritate*. 1. *In judicio*, id est cum discretionem, prudentia, consideratione & reverentia. 2. *In justitia*: Ut sit de re justa, licita, & honesta. 3. *In veritate*: Ut res sit veritati consona. Hæc tria si defint, jurare non licet; ac proinde consuetudo tam crebrò jurandi penitus proscribenda est.

Consideratio Motivorum.

A pessima jurandi consuetudine ac temeritate, retrahat te. 1. Pœna æterna, indicata ab Apostolo Jacobo in Epist. c. 5. 12. *Ante omnia fratres mei nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum, ut non sub judicio decidatis*. Id est ut non incidatis in condemnationem æternam, dum ex frequentia jurandi inciditis in perjurium. 11. Pœna temporalis: nam juravit Saul se occisurum Jonatham, & quan-

ta ex eo perjuriam; dum juravit populus, se id non permissurum? Juravit Jephthe, se occisurum, quod primò occurreret; & unigenita occurrit filia: at quanto cum dolore & pœnitentia? Juravit Herodes se Herodiadis filiæ daturum, quidquid petitura esset: petivit caput Joannis Baptistæ, & obtinuit; at quanto cum dolore, crudelitate, & homicidii atrocitate? O quis igitur temerè jurare, non perhorrescat?

Petitio.

Cùm tua, Domine, Majestas jurare vetuerit, fac ut linguam meam ita à juramentis cohibeam, ut temerè jurantium & pejerantium supplicia evadam.

Aspirationes.

I. Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. Eccli. 23. 9.

II. Mentiri & jurare lingua tua prorsus ignoret; tantusque in te sit veri amor, ut quidquid dixeris, juratum putes. S. Hieronym. Epist. 24. ad Celant.

III. Pone Domine, ori meo custodiam, ut pessimam jurandi consuetudinem dediscam.